Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

hæc enim Civitas mandata Pontificis amplectens contrà Cæſarem, & Henricum, Gerlaco adhæſit, eidemque vivente Ludovico (*a*) Homagium præſtitit. Hic viciſſim † multis largitionibus, & privilegiis fidem Civitatis ſibi firmavit, & ſic cum ingenti Sedis detrimento prima licentiæ fundamenta Civitas jecit.

Schiſmate ad utilitatẽ ſuam utitur Erfordia.

XII. *MCCCL.

Chorus Marianus erigitur.

* Idem annus initium (*b*) dedit eleganti ſtructuræ † Chori B. M. Virginis, cujus Magnificentiæ Germania parem non habet, ſique Severianus Chorus, uti fundamenta jacta, ſimili forma ſtaret, ac ſic latiſſimi gradus ex foro inter utramque magnificentiam exſurgerent, vix haberet Italia, quod huic miraculo compararet. Sumptus (*c*) quater & vigeſies mille argenti marcarum fuerunt. Nec jam tum India Europam argento ditaverat, ut ſicut annona, ſic unius diei merces non multis obolis ſtaret. Simul † lapideis gradibus (*d*) ad montem D. Petri aſcenſus ſternebatur, jacuerunt illi ad noſtram ætatem, uſque dum munito monte ſublati murorum marginalibus adhiberentur.

Aſcenſus montis S. P. gradibus lapideis ſternitur.

Vicedominatûs officium Moguntia redimit.

XIII. *MCCCLII.

* A longo tempore (*e*) Vicedominatus † exercitium in Erfordiâ nobilis familia, quæ

(*a*) *MS. Chronica Petr.*
(*b*) *MS. Erfurtenſia Chron. & Petr.*
(*c*) *Rationalia iſtius Collegii & MS. Chron. Petr.*
(*d*) *MS. Chron. Petr.*
(*e*) *Sequentia multis documentis in Archivis extantibus probantur.*